

FAMILIA PIASTEA, IN  
 QUA PRÆTER REGES ALIQUOS  
 & Principes Poloniæ, Silesiæ utrius-  
 que Duces.<sup>a</sup>

**P**ost *Popielum*, ultione ob patruos impie  
 trucidatos divinitus irrogata, à muribus co-  
 mestum, insperata felicitate quendam PIA-<sup>Piaſtus.</sup>  
 STUM *Crusvicensem* civem, qui cum patre  
*Cursisco* & matre *Repicha* agricultura & apum  
 curâ se sustentaverit, *seculo nono* in comi-  
 tiis electum esse *Polonorum* principem, anna-  
 les gentis referunt. Quod vero de duobus  
 peregrinis, qui à Popieli ædibus cum hospitium  
 quærerent depulsi apud eum divertentes vati-  
 cinium dignitatis ediderint, ac inde disparue-  
 rint, deque mulso & porcina inter epulandum  
 non deficientibus narrant, fabulis affinia esse  
 videntur. Virtute autem & autoritate sua Rem-  
 publ. non parum antea turbatam in integrum  
 ipse restituit. Regnum ejus tranquillum & po-  
 popularibus adeo acceptum, ut nomen etiam  
 nunc in veneratione sit, atque in comitiis, qui ex  
 popularibus regem volunt, Piaſtum velle dicantur.  
 Virtute & justitia excellens vocatur in  
 inscriptione imagini addita. Dicitur vita ex-  
 cessisse

<sup>a</sup> Consulendum præcipue præter Polonicarum re-  
 rum scriptores *Chronicon Silesiæ Curæi* à *Schickfusio*  
 auctum.